

sumptum. Atq; huic tali monstro (sæpe enim enectū concupiuerē reges uidere) mustelarū uirus exitio est: adeo natura nihil placuit esse sine pari. Inijciunt eas cauernis, facile cognitīs sola tabe necāt illa simul odore, moriunturq; & naturæ pugna conficitur.

De lupis.

CAP. XXII.

Sed in Italia quoq; creditur luporū uisus esse noxius: uocēq; homini, quē priores cōtēplentur, adimere ad p̄sens. Inertes hos paruosque Africa & Aegyptus gignunt, asperos trucesq; frigidior plaga. ¹⁰ Homines in lupos uerti, rursumq; restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere oīa quæ fabulosa tot seculis cōperimus. Vnde tamen ista uulgo infixā sit fama in tantū, ut in maledictis uersipelles habeat, indicabitur. Euātes inter autores Græciæ nō spretus, tradit Arcadas scribere, ex gente Antai cuiusdam sorte electū ad stagnū quoddā regionis eius duci, uestituq; in quercu suspenso tranare, atque abire in deserta, transfigurariq; in lupū, et cū ceteris eiusdē generis congregari per annos ix. Quo in tempore si hōie se abstinerit, reuerti ad idem stagnum: & cum tranauerit, effigiem recipere, ad pistrinum habitum addito ix. annorū senio. Id quoq; Fabius, eādē recipere uestē. Mirum est, quo procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat. Itaq; Agriopas qui olympiōicas scripsit, narrat Demanētū Parrhasiū ī sacrificio quod Arcades Ioui Lyceo humana etiā tum hostia faciebāt, immolati pueri exta degustasse, & in lupum conuertisse: eundem decimo anno restitutum athleticā, certasse in pugilatu, uictoremq; olympia reuersum. Quin & caudæ huius aīalis creditur uulgo inesse amatorium uirus exiguo in villo, eumq; cum capiatur abijci, nec idem pollere nisi uiuētī direptū. Dies quibus coeat, toto anno nō amplius xij. Eundem in fame uesci terra. Inter auguria ad dexteram cōmeantium præciso itinere, si pleno id ore fecerit, nullum oīum præstantius. Sunt in eo genere qui ceruarij uocantur, qualem ē Gallia in Pompei magni harena spectatū diximus. Huic quāuis in fame mandenti, si respexit, obliuionem cibi sur-repere aiunt, digressumq; querere aliud.

De serpentibus.

CAP. XXIII.

Quod ad serpentes attinet, uulgatū est colores eorū plerasq; terras habere, in quas occultē tur. Innumera esse genera. Ceraſtis corpore eminere cornicula sæpe quadrigemina: quorū motu, reliquo corpore occultato, sollicitēt ad se aues. Geminū caput amphib. enā, hoc est ad caput et ad caudā, tanq̄ parū esset uno ore fundi uenenū. Alijs squamas esse, alijs picturas: oībus exitiale uirus. Iaculum ex arborū ramis uibrari: nec pedibus tātū pauēdas serpentes, sed & missili uolare tormento. Colla aspidū intumescere nullo ictus remedio, præterq̄ si cōfestim partes contactæ amputētur. Vnus huic tam pestifero animali sensus, uel potius affectus est. Coniuga ferme uagātur: nec nisi cum compare, uita est: itaq; alterutra

interempta, incredibilis alteri ultionis cura. Persequitur interfectorem, unumq; eum in quantolibet populi agmine notitia quadam infestat, perrūpit omnes difficultates, permeat spatia, nec nisi amnibus arceatur, aut præceleri fuga. Non est fateri, rerum natura largius mala, an remedia genuerit. Iam primum hebetes oculos huic malo dedit: eosque non in fronte ex aduerso cernere, sed in temporibus: itaque excitatur, sed sæpius auditu quā uisu.

De ichneumone.

CAP. XXIII.

Habet deinde internecinum bellum cū ichneumone. Notum est animal hac gloria maxime, in eadem natum Aegypto. Mergit se limo sæpius, siccatq; sole. Mox ubi pluribus eodem modo se corijs loricauit, ī dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces. Nec hoc contentus, aliud haud mitius debellat animal.

De crocodilo, & scinco, & hyppopotamo.

CAP. XXV.

Crocodilum habet Nilus, quadrupes malū, & terra pariter ac flumine infestū. Vnū hoc aīal terreſtre lingua usu caret. Vnū supiore mobili maxilla imprimit morsum, alias terribile, pectinatim stipante se dentiū serie. Magnitudine excedit plerūq; duodeuiginti cubita. Parit oua quanta anseres: eaque extra eū locū semper incubat, prædiuinatione quadā ad quē summo auctu eo anno accessurus est Nilus. nec aliud aīal ex minori origine in maiorem crescit magnitudinem. & unguibus hic armatus est, contra oēs ictus cute inuicta. Dies in terra agit, noctes in aqua, teporis utrunq; ratione. Hunc saturū cibo pisciū, & semper esculēto ore, ī littore somno datū, parua auis, q̄ trochilos ibi uocatur, rex auium in Italia, uitat ad hiantium pabuli sui gratia, os primū eius assultim repurgās, mox dentes, & intus fauces quoq; ad hanc scabendi dulcedinem q̄ maxime hiantes: in qua uoluptate somno pressum confpicatus ichneumon, per easdem fauces ut telum aliquod immissus, erodit aluum. Similis crocodilo, sed minor etiā ichneumone, est in Nilo natus scincos, contra uenena* præcipuus antidotis: item ad inflammandā uirorū uenerē. Verum in crocodilo maior erat pestis, q̄ ut uno esset eius hoste natura contenta. Itaq; & delphini immeātes Nilo, quorum dorso tanq̄ ad hunc usum cultellata inest pinna, abigentes eos præda, ac uelut in suo tātum amne regnantes, alioquin impares uiribus ipsi, astu interimunt. Callēt enim in hoc cuncta aīalia, sciuntq; non sua modo comoda, uerū & hostiū aduersa: norunt sua tela, norunt occasiones, partesq; dissidentium imbelles. In ventre mollis est tenuisque cutis crocodilo: ideo se ut territi mergunt delphini, subeuntesq; aluum illa secāt spina. Quin & gens hoīum est huic beluæ aduersa in ipso Nilo Tentyrite, ab insula in qua habitat appellata. Mensura eorū parua, sed præsentia animi in hoc tantum usu mira. Terribilis hæc cōtra fugaces beluæ est, fugax

* præcipuus antidotum